

A D L E C T O R E M.

cilius memoriae imprimeres, consultum
judicavi illis omnibus & singulis asteriscum
præfigere, qui tibi indicat, eam vocem
alibi non extare, nisi hoc ipso versiculo.
Vide Matth. II, 6. in Οὐδαμῶς, & v. 15.
in τελευτῆς, atque passim alibi.

Totum hoc Compendium divisi in *tri-*
ginta sex dies, ut tempore feriarum æstiva-
rum vel hybernarum, vel etiam aliis tem-
poribus intra sex hebdomadas absolvi pos-
sit. Peritiores breviori tempore, duplican-
do vel triplicando pensum, poterunt absol-
vere; imperitiores vero possunt singulos
dies dividere, & spatio trimestri totum ab-
solvere. Sed experientia me docuit, Ti-
rones sine ulla molestia singulis lectionibus
singulos dies absolvere posse. Singulis die-
bus circiter quinquaginta tres versiculos, si-
ve potius particulas tot versiculorum as-
signavi.

Nolo tamen Tirones, & qui nihil vel
perparum in Græcis studuerunt, statim ad
hoc Compendium admittere; nam credide-
rim hoc talibus fore nimis difficile. Sed
illis